



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Qui clerici item quævis ecclesiastica beneficia obtinentes, habitum clericalem non induunt; aut non ijs sacris ordinibus initiati sunt, quos ipsius ecclesiastici beneficij, quod obtinent, ratio requirit.

Qui majori excommunicationis vinculo illigati tenentur, interdicti sunt, suspensive; idque siue ab homine, siue à iure.

Vt autem sacerdotes, quibus hoc audiendæ sacræ confessionis munus commissum est, eam ipsam excommunicationis penam, quam mox supra ediximus, vel diligentissimè caueant; sciantque præterea quibus quasi finibus eorum auctoritas contineatur: casus qui supra notati sunt, tum eos etiam qui summo Pontifici, & in processu Bullæ die Cænarum Domini latae, & Canonum iure reservati sunt, tum illos præterea qui ad Episcoporum absolutionem canonicis sanctionibus pertinent, ordine descriptos, notatis etiam locis vnde sumpti sunt; eos iussu nostro collectos diuulgari iussimus.

Quos casus tabella libellove expressos, vnusquisque confessor, apud se habeat, vnâ cum libro etiam canonum penitentialium; quorum cognitio & Canonum iure, & nostro prouinciali Concilio eis maximè commendata est, qui in sacris confessionibus audiendis versantur.

Quos verò casus absolutioni nostræ reservauimus, eos parochi & urbani & diæcesani, in sua quisque parochiali Ecclesia quotannis Quadragesimæ & Aduentus initio promulgent, tum vt qui confessiones audiunt; excommunicationis penam vitent, quæ contra facientibus constituta est; tum etiam vt sciant fideles, quorum peccatorum absolutionem à nobis petant, aut ab ijs quibus id curæ dederimus.

Decretum. XIX.

QUI excommunicationis vinculo irretiti sunt, vt & ii pudore affecti, in sanctæ Ecclesiæ gratiam redire studeant eò diligentius; & alijs ne per imprudenciam cum eisdem vllam commercium consuetudinemve habeant; parochis urbanis cum à nobis, diæcesanis verò cū à Vicario Foraneo seu Præposito signi-

ficatum erit, quempiam excommunicationis pena affectum esse, ipsi quoque eundem in suis Ecclesijs primo quoque mensis die Dominico talem denuncient.

Neque hoc agere cessent eadem constituta die, nisi certiores à nobis, vel ab illis ipsi quos diximus, facti sint, illum peracta penitentia Ecclesiæ reconciliatum esse.

Hanc præterea diligentiam illi ipsi adhibeant, vt si qui suæ curæ commissi, per annum in excommunicatione & censuris fuerint, neglexerintque Ecclesiæ satisfacere; eorum nomina ad nos deferant, vt contra eos agatur, quemadmodum sacri Canones, & summorum Pontificum sanctiones in eos statuerunt, qui per annum in censuris infortunauerint.

Decretum. XX.

QUONIAM à Christiana pietate alienum est, ad ornatum templorum augendum ea adhiberi, quæ non modò religionem non excitant, sed populariù animos ad nefarias cogitationes alliciunt; ideo nè quis illis orandis peristromata aulæque adhibeat obscenis figuris contexta; neque item imagines & signa apponat, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum quæ à loci sanctitate alienæ sint, speciem referant; cum templa Dei pijs atque honestis ornamentis illustrari atque adornari debeant.

Quod de hoc ipso templorum ornatu sancitum est; idem in apparatu, qui in supplicationibus publicis, & die præsertim festo Corporis Christi Domini fit, parochi in suæ quisque parochiæ via, qua processionis munus obibitur, seruari curabunt.

Decretum. XXI.

QUÆ intima animi religione & externo pio cultu à maioribus instituta sunt, ad exercenda Christianæ beneficentiæ ac pietatis officia; ea inductis nonnullis morum erroribus præstari non debent pratio quodam habitu, qui non solum ipsorum maiorum voluntati alienus sit, sed à re ipsa quæ sanctè geri debet, maximè abhorrens.

Quare nos cum multis abhinc annis nõ sine magno quodam animi dolore ani-

Tēplorū ornatu & apparatu in supplicationibus

Elemosinarum oblatio quibusque Metropolitanæ ecclesiæ sunt ratio præscripta.

si quis...

id est...

videtur...

Prou. I. Que put. ad sacr. p. adm. pa. 11. §. Confessores.

Excomunicatorū denūciatio quando faciēda.